

2085

LITURGICI.

2086

Decreta num. 58. vide apud Gavant. in init. Thesau. Sac. Rit. et plurima alia in mea prax. canon. T. I. lit. J. de Judic. n. 43. fol. 777. ad fol. num. 791. Sequitur Index Materiarum a voce Abbas. Absolutio. Acolythus &c. usque ad vocem Versiculi. Vesperae. Vestes. Articuli universim CXXIV. e diversis Scriptoribus liturgicis studiose congeſti. Addam de Autore apud Joecherum desiderato, quae comperi. Exactis Romae 20 annis ad eos, quos supra notavit, pervenit titulos. His accedere deinceps dignitas Protonotarii Apost. Familiaris Aulae Caes., Conſiliarii eccl. Moguntini, et Praepositi Ecclesiae Collegiatae B. M. V. in Solio Carinthiae. Edidit. Anacephalaeosin ceu brevem Rem Diplomaticam supremi, ut vocat, Angelici Constantiniani Heracliani Primi Ordinis S. Georgii. Pofonii 1722. 4. Praxin Canonicam. Aug. Vindel. 1728. f. Opusculum de Origine et Praxi sacrorum Rituum. Ibid. 1734. 4. Praxin Moralem pro Parochis et Confessariis. Ibid. 1735. f. Annotationes Theoricopracticas ad Tractatum de Decimis Job. Petri Monetae c. Centuria S. Rotae Rom. Decisionum recentior. et recentiff. Ibid. 1737. f. An repetito in Praefatt. de uberiore Doctrina etiam Civili et Criminali edenda promisso deinceps se exſolverit, ignoro.

DCCCXLIX.

R. 989 Codex chartaceus ital. Sec. XVIII. Folior. 58. f. maj. ma-
Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

gnifice exaratus Exemplar est II. Dissertationum ab autore J. B. Castillioneo Canon. Diplomatices Professore publ. et Archid. Ferdinandi Mediolani Bibliothecario oblatum Josepho II. Imp. a. 1769. Dissertatio I. inscribitur: *Dell' antichissimo Rito di pregare per l' Imperatore interamente conservato nella sola Ambrosiana Chiesa. Altera: Chiesa di Milano Metropolitana.* Vides illam liturgici, hanc canonici Fori esse. Utraque lucem publicam simul adspexit Mediolani 1771. 4. max. et quidem plenior; nam in Exemplo *ms.* deest locus Dicationis a verbis: *Felicità, di cui fra i vasti &c.* usque ad verba: *Così piaccia al supremo &c.* deest Praefatio, et Tabula Paragraphorum, desunt demum ad calcem Disputatio de Privilegio ab Angilberto II. Archiep. Mediol. Monasterio S. Ambrosii concessio, et Tabellarum aenearum, quibus utraque Dissertatio ornata est, Explicatio.

DCCCCL.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3166
XIV. Folior. 132. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, coloribus, et variis Initiorum literis deauratis et picturatis speciosus, est *Missale* juxta ritum *Salisburgensis* Ecclesiae, et specialius deputatum *Altari beate Margarete virginis in Capella sancte Katherine sita in Cimiterio Nouecuitatis*, ut liquet e praefixo Calendario ad *Novembrem*, ubi Dedicatio hujus Altaris peragi dicitur
U Domi-

2087

C O D I C E S

2088

Dominica Gaudete, quae est III. Adventus, unde Nota ad *Decembrem* potius pertinet. In alia Nota ad *Februarium* recensentur *Attinentia ad beneficium S. Margarete*, five satis curta Supellex vasorum et vestimenti sacerdotalis; item agri, prata et vineae illuc pertinentes, quo loco nominantur Pagi *Enzesfeld* et *Lintaprum* cum Oppido *Sachenau* (Salchenau, Saalenau) inter *Viennam* et *Neostadium* siti. Denique ad *Octobrem* dicitur peragi *Anniuersarium domine Anne Roesenwengerin* singulis annis in *Nouacuitate in Ecclesia beate virginis* (postea cathedrali) proxima dominica post diem *Omnium animarum per dominos Lewtuincos* vel *Lewtiuncos*; ita enim dubie scriptum est. Quod, quid sibi velit, discere cuperem. Ceterum nihil peculiare habet *Missale*.

DCCCLI.

R. 3266 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 243. f. per duas columnas caractere crasso, luculento, atro perscriptus, rubricisque distinctus, est *Missale*, quod e *Calendario* praevio, in quo *Bruno* et *Hugo Lincoln. Ep.* miniati comparent, ad *Carthusiam* aliquam referendum videtur, eamque in ditione *Bobemica*, vel *Provinciis* conterminis sitam, nam ad calcem *Margareta*, *Elizabeth*, *Wenceslaus*, *Adalbertus*, *Procopius*, *Ludmilla*, *Vitus*, *Fratres Martyres Cristinus*, *Benedictus*, *Mathaeus*, *Johannes* et *Isaac* propriis *Officiis* celebrantur. Juvat item observare

Silam, qui in *Martyrologio Baronii* 13. *Julii* colitur, in *Calendario* nostro 28. *Novembr.* cum adposito *Apostoli* memorari. *Fol. ult.* habetur *Ritus suscipiendi novitium monachum ad professionem*, in quo tamen non exprimitur religiosae Familiae nomen. Tabulae posticae adscriptae sunt *Litterae Rudolphi de Rudesheim* prius *Ep. Lavantini*, nunc *Wratislaviensis* et per *Poloniam* ac *Bobemiam* *Sedis Apostolicae Legati* ad omnem *Clerum Dioec. Olomucensis* datae *Wratislaviae Die XXVII. Mens. Octobris Anno domini 1474.* quibus injungit *Preces contra Belli calamitates singulis diebus ante inceptionem Introitus Summe misse* publice persolvendas additis 40. dierum *Indulgentiis* etiam pro *Lai-cis*, qui earum loco 20. *Pater noster* et *totidem Ave Maria* recitaverint. *Precum* porro *Formula* integra subjuncta legitur. *Sedem Olomucensem* ea tempestate inter *Bobustaum Hassensteinium de Lobkowitz*, et unum, alterumque *Italum* nutasse, notum est ex historia.

DCCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2217 XV. Folior. 239. f. maj. optime scriptus et servatus, coloribusque et luculenta ad *Canonem Christi* dextro latere vulnerati et tribus clavis adfixi *Imagine* conspicuus est *Missale* in usum *Dioeceseos Salisburgensis*, ut e *Calendario* praevio eruitur, in quo *Rudberti* et *Virgilio Epp.* *Festa* et *Translationes* minio consignantur. *Fol.*

225.